Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1375
Quelle:
Copyright:

ab a. 1401. ad a. 1415. Item ad calcem *fol.* 80. p. 2. *Iste liber spectat ad librariam* (litura) *quem comparauit Dominus Heinricus Episcopus;* rursus litura, ita tamen, ut vox *Warmièn.* transpareat. Facile igitur primum istud in *Codice* Opusculum Seculo XIV. nondum exacto scribi potuit. Insignitur autem illud: *Incipit libellus contra precipuos errores grecorum editus a fratre Bartholomeo constantinopolitano. Ordinis fratrum predicatorum. Ad instanciam fratrum inter grecos commorancium.* Initium est: *Licet grecorum ecclesiam virtutum floribus et phylosophie studijs olym decoratam nouerimus* &c. et finis: *Omnes qui tenditis arcbum debellate eam in* (lege *id est*) *babilonem.* Adhaeret Quaestio: *Quando greci fuerunt excommunicati.* Atque una cum hac Quaestione recensui Libellum in priori Volumine inter *Codices Polemicos* N. CCCLXXII. quo Lectorem dimitto.

II. *fol.* 81. Tractatus ἀνεπιγραφος contra *Wiclefistas* et *Hussitas*, cujus initium: *Jussit vestra reuerendissima paternitas ac metuendissima dominacio talia que negare phas non est* &c. et finis: *et in eadem fide et obediencia romane videlicet ecclesie semper fuit gubernata ecclesia christi. Amen.* Additur: *Scriptus est presens liber sub anno domini Millesimo Quadringentesimo Tricesimo secundo.* Saepius relatus est et ipse priori Volumine, et praecipue inter *Codd. Polem.* N. CCCCXII. scriptus a. 1426. addito nomine Autoris *Petri Tzach* s. *Tzech de Pulka Austrii*, de quo actum ibi.

III. *fol.* 91. Tractatus inscriptus: *Contri errores waldensium.* Incipit: *Prmo quia dicunt heresiarcbas suos quos fratres nominant et in confessione dominos appellant esse veros discipulorum christi successores* &c. Novem Errores percensentur adlita singulis refutatione e sacris lieris. Mox sub ingressum objicitur *Waldensibus* nocturna praedicaio, *quando familia christiana dormit quam familiam inter se uocant dij fremdenn*, quasi dicas *profinos.* Unde Tractatus *Germaniam* prodit Patriam, et ita ad calcem scriptorum *Petri de Pillichdorf* ejusdem argumenti editus est a *Jac. Gretsero*, et hinc in T. XXV. *Bibl. PP. Lugd.* p. 302. repraesentatus. Amplius tamen Exemplum *ms.* nactus erat *Gretserus;* dum enim Nostrum in Errore *nono* ita sistit: *spiritualem utilitatem viderit expedire;* illud *decimum* cum sua impugnatione superaddit. in calce Nostri ea, quae supra notavi, confirmantur: *Hunc librum scribi fecit Dominus Franciscus Episcopus warmien. Anno Domini M° CCCC^mo. XXX. Franciscus Kueschmalz* sedit ab a. 1424. ad an. 1457. Ejus nomen rursus hic scalpello lectorum oculis paene subductum suspicionem facit, *Codicem* piceis quibusdam manibus olim adhaesisse.

DCXI.

Codex chartaceus germ. Sec. R. 1067 XVIII. Folior. 207. 4. nigro rubroque